



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An vis Sacramenti sit alligata speciebus. tit. 90

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

gant Sacramento, ne creatura adoretur. At Christus non dicit, Hic panis est corpus meum, &c. Alius negat diuinitatem, & facit Christum sine diuinitate esse in Sacramento: etiam si verè quod semel assumpsit, nunquam dimisit aut dimittet. Thomas ergo non errauit, Ioannis 20. dicendo, Deus meus & Dominus meus. Alius vult habere duplices & diuisas species Sacramenti, separatum à corpore & sanguine, quasi iterum moriatur Christus, Roman. sexto. Sic olim veteres hæretici. Arius negauit diuinitatem, Manichæus humanitatem &cæt. Hæc cum sit pessima scissura, qui sic in errore, & falsa fide, ac odio & schismate sumit Eucharistiam, peccat in corpus Domini, aliter de illo sentiendo & credendo, quàm debet in Catholica vnitate.

Tertiò, peccant in sanguinem & corpus Christi, qui malè viuunt, fornicator, vsurarius, raptor &cæt. curiosus, id est, qui non intendunt relinquere peccata, at tamen communicant ex consuetudine, illi soli manducant corporaliter, sicut omnes sectarij, &cæt. at non vniuntur in Spiritu cum Christo & Ecclesia. Ideò sine fructu est talis communio, & potiùs ad penam quàm vtilitatem communicant, & non habent vtiliter Sacramenta, quia sine penitentia peccatorum & charitate proximi communicant. Si enim Apostolus 1. Cor. 5. iubet non comedere communẽ cibum cum talibus fornicarijs, multo minùs communicare cum hæreticis, nec tales admittendi sunt ad mensam Catholicam. Si autem verè penituerint &c. homines peccant contra corpus & sanguinem Domini communicantes, &c. Sic Iudas communicauit in malo proposito tradendi Christum, Ioan. 13.

*AN VIS SACRAMENTI SIT
alligata speciebus.*

TITVLVS XC.

Primò



Primo, virtus & vis Sacramenti consistit in fide, scilicet ut credā verbis Christi Mat. 26. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in mortem. Et, hic sanguis meus novi testamenti, qui multis effundetur in remissionem peccatorum. Quod hoc corde credit & ore confitetur, hic habet vim Sacramenti, & acquirit remissionem & salutem. Ergo crede, & manducaisti Spiritu & fide. & patres veteris testamenti sic manducarunt & biberunt, id est, fide in futurum Christum. & captiui sub Turca agentes, sic communicant. Hæc fides non nisi ad verba Christi respicit, non ad species &c. & de hac communione loquitur principaliter capitulum Ioan. 6.

Corporalis communio nos tantum deducit ad confortandam hanc fidem, sine qua communio nihil proderet, sicut aqua Baptismi proponit nobis Christum, ut credamus, quia ipse tollit peccata mundi, Ioan. 1. primo sine qua fide Baptismus nihil valeret. Iam igitur fidem corporalis communio, & confortatur, quoniam cogitatur cur passus sit, scilicet pro peccatis nostris, Roman. 4. & in eum finem iubet Christus hoc facere in suæ passionis memoriam, Lucæ 22. non ut sumptio specierum remittat peccata, sed Christus per hanc fidem, qua credimus eum propter nos pertulisse mortem, & esse victimam, Esai. 53. Hæc fides medium est, quæ apprehendit vim & efficaciam Sacramenti. Hæc fides præcellit Sacramentum, & speciem Sacramenti &c. Species Sacramenti nil aliud faciunt, nisi quod nobis innuunt significationem, non operantur autem gratiam, sed Deus est, qui dat gratiam & gloriam, Plal. 83. & 1. Cor. 12. Deus operatur omnia in omnibus, species enim panis significat, quod corpus sit oblatum: & vinum, quod sanguis sit factus pro peccatis nostris.

Secundo, quoniam solus Deus dat gratiam & gloria.

riam, Psal. 83. Ideò species Sacramentorum nihil gratiæ conferunt, solùm significant, quòd ibi est Sacramentum corporis & sanguinis Christi, & nihil amplius efficiunt. Neq; diuina gratia est alligata rebus externis, sicut dicit Cypr. lib. 4. Epistolarum Epist. 7. de Clinicis, sed fide accipitur: sic etiam vis Sacramentis quo pater, quòd illi errant, qui sic salutem duabus speciebus alligant, quòd sine illis nemo possit saluari. Subindè errant, qui vtranq; speciem pluris æstimant, quàm fidem. Postremò, qui vtranq; speciem magis necessariam esse putant quàm Catholicam vnitatē & dilectionē, quam lacerant per hoc Sacramentum. Plus enim est vnitatis Catholica, quam hoc Sacramentum manducare corporaliter. Nam sine charitate non prodest, 1. Cor. 10. Vnus panis, vnum corpus, &c.

Tertiò dicit, quòd Christus dedit Apostolis vtranque speciem ex incontinenti, id est, vnam post alteram, sicut etiam Euangelistę testantur, & sic iussit accipere omnes homines, ergo necessaria est vtriusque speciei communio. Respondeo, Christum dedisse vtranque speciem, clarè dicit textus Euangelistarum, Mat. 26. sed præcepisse Apostolis, vt indifferenter darent omnibus hominibus vtranque speciem, aut vnam, non habetur expressè. Christus, vt veritas responderet figuræ, diuisim dedit species Sacramenti. Nam animalia veteris testamēti figurabant Christum agnum Dei immolandum, Ioan. 1. sed in oblatione animalium primò sanguis separabatur à carne, qui sanguis fundebatur super altare, aut circa vel post: Subindè caro concremabatur &c. vide Leuiticum. Sic Christus non luit suffocari, sed vulnerari, & sanguinem de corpore fluere &c. & huius memoriam agunt sacerdotes vtrāque speciem communicando. Sed tamen Christus in singula specie est totus: & nihilo plus accipitur in duabus speciebus, quàm in vna &c. Scētę quoniā vnam speciem post alteram recipiunt, quid in prima specie

cie? si totum Sacramentum, corpus & sanguinem
cur id non sufficit? si partem, tunc diuidunt Sacramen-
tum, & accipiunt frustulatim, Sed ubi præcepit hoc
(id est, vtrunque speciem sumere) Christus laicis non
celebrantibus &c?

*AN PROPTER MANDUCA-
tionem & post actionem Sacramenti, da-
netur remissio peccatorum.*

TITVLVS XCI.



Primò, saluator noster Christus verum
quodque Sacramentum instituit, pro-
pter speciale suum opus & efficaciam
sic Bap̄tismum, vt in illo accipiamus
primum per fidem remissionem pecca-
torum, sicut Amor. 2. Petrus dicit: Baptizetur quis
in remissionem peccatorum in nomine Christi. In Ba-
ptismo donatur igitur remissio peccatorum: ad hoc
opus est institutum.

Secundò, instituit Christus Sacramentum peni-
tentiae, vt per illud lapsi iterum impetrent gratiam &
remissionem peccatorum. Mar. 1. Pœnitentiam agite, & cre-
dite Euangelio, Mat. 3. & 4. Pœnitentiam agite, &c.
Ad hoc opus, id est, remissionem peccatorum, hæc duo
Sacramenta propriè sunt instituta, sicuti verba Chris-
ti sonant Mar. vlt. Qui crediderit & baptizatus fue-
rit, saluus erit. & Mat. 3. & 4. Pœnitentiam agite, & ap-
propinquabit regnum cœlorum, &c.

Tertiò, instituit Christus Eucharistiam in memo-
riam passionis suæ, id est, vt circa illud, pensamus cau-
sam cur Christus natus ac passus sit, id est, propter nos-
tra peccata, Rom. 4. vt nos saluaret, & pro nobis fa-
ctus victima, Esa. 53. ne tam grande beneficium Dei
obliuisceremur, sicut Iudæis præcepit manducare
agnum paschalem annuè, ne obliuiscerentur benefi-
cij liberationis ex Aegypto, Exod. 12. Sic Paulus præ-
dicat